

qui confitebitur me coram hominibus, confitebor ego eum coram Patre meo.²⁶⁸ Et expressam habent concessionem proponendi et scribendi ve-
 [93:]ram doctrinam etiam illi, qui non sunt ad locum publicum vocati. Sicut
 dicitur: Potestis omnes interpretari.²⁶⁹ Item: „Sermo Christi habitet inter vos
 5 abunde in omni sapientia. Docete et commonefacite vos mutuo“,²⁷⁰ item: „Et
 tu conuersus confirma fratres tuos.“²⁷¹ De iudiciis etiam plana est responsio:
 Differunt iudicia priuata singulorum inquirentium veritatem pro consolatione
 suae conscientiae a publico iudicio ecclesiae in synodo, quae perniciosum
 dogma et cultus iudicat esse vitiosos et abolendos publice. Sicut vero priuata
 10 iudicia singulorum prorsus necessaria sunt ad cognitionem doctrinae coeles-
 tis et confessionem, ita certum est ad iudicia publica adhibendos plures ex
 eruditis et piis, etsi non omnes fuguntur publico ministerio. Nec inquisitio
 veritatis est releganda ad tempus synodi, sed vltima definitio in causis ambi-
 guis et decretum de mutatione facienda potest reseruari colloquio erudito-
 15 rum. Interea tamen etiam publice vtile est extare multorum sententiam ex
 veris fontibus quaesitam, vt eo materiae melius illustrentur et facilius possit
 fieri diiudicatio ab eruditis, si aliquando conuenturi sunt. Imo et nos has in-
 terpretationes nostras, quae in priuatum nostrum vsum vt supra praefati
 sumus conscriptae sunt, si forte in aliorum manus peruenerint, subiicimus
 20 iudicio piorum, qui candide secundum veritatem vocis diuinae et sine priua-
 tis affectibus iudicant, et prouocamus ad vniuersam ecclesiam non tantum ad
 illos, qui docent in loco publico. Certum enim est, vt toties diximus, iudicia
 esse totius ecclesiae sicut dicitur: „Vnctio docet vos de omnibus et vera est et
 mendacium non est“,²⁷² item: „Nolite extinguere Spiritus“,²⁷³ item: „Si fuerit
 25 sedenti reuelatum, taceat prior.“²⁷⁴ Hanc consilij nostri testificationem neces-
 se est nos opponere iniquissimae censurae quorundam, qui cum suae causae
 diffidant, omnes, quos vlcera sua, etsi optimo animo atrectare vident, oppri-
 mendos suadent. Hi sciant iniustissime hoc nobis obiici. Currebant et non
 mittebam eos neque tyrannicis suis moli-[94:]tionibus explicationem verita-
 30 tis obruent. Interea tamen nullius vocationem turbamus nec seditiosis consili-
 is coetus diuersum sentientes oppugnamus. Non postulamus, vt collocentur
 in suggestus doctores alterius partis, sed transactione interea certamen hoc
 sopiri petimus. Accusamus et reprehendimus illos, qui intempestiue in pub-
 lico coetu afferunt talia, quibus sauciari possunt infirmi. Ideo nequaquam ad
 35 plebem Lutherum damnari volumus, sicut omnino propter hos naeuos leuicu-
 los nequaquam meretur damnationem, sed sequamur consilium sanctissimum

²⁶⁸ Mt 10,32; Lk 12,8.

²⁶⁹ I Kor 14,31.

²⁷⁰ Kol 3,16.

²⁷¹ Lk 22,32.

²⁷² I Joh 2,27.

²⁷³ I Thess 5,19f.

²⁷⁴ I Kor 14,30.